

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

**Caput XXIX**

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

tangat, insofar aquæ erodentis excoriat eandem. *Ioan.*  
*de Laet descript. Americae l. 1. cap. 1.* Eadem forte cum  
illa quæ in Canibalum Insulis nascitur. Nam & hujus  
fructu comesto, lingua ita inflatur, ut viginti quatuor  
horarum spacio, omnis illius impeditur usus. In iisdem  
Insulis aqua palustri ante Solis exortum lota  
facies ita intumesces, ut visum impedit. *Idem l. 1.*  
*cap. 18.*

## CAPUT XXIX. DE MANDRAGORA, MALVA & MORO.

**M** *Andragora hypnotica* est. Experientia id testatur. *Lemnius in expl. herb. Biblic. cap. 2.* Cum enim semel atque iterum speciosum ac amabilem ejus fructum, negligentius in Museo collocasset, somnolentia premebatur, redibat alacritas amoto. Idem Lybicus accidit in bello contra Carthaginenses. Vinum enim in doliis corruptit Hamilcar, Lybicusque id prædæ loco cessit. Epotum omnes somno opprescit, viatoriam Carthaginibus tradidit. *Polyan. l. 5.* Αὐδρωμόρροφος à Pythagora dicitur. Radices enim à medio ad imum proveniunt bifurcatæ, adeo ut crura hominum modo, habere videatur. Fructus mali instar superfolia ad terram procumbentia parum à radice distat. *Heidfeld. in Sphinge Philosoph.* Hinc si eo quo fructum genuit effodiatur tempore, hominis cui brachia desunt, repræsentat imaginem. Sunt & factitiæ; ex arundinum mandragoræ, bryoniæ, aliarumque plantatum radicibus. Modum effingendi à quodam impostore proditum, scripsit *Mathiol. l. 4. Diosc. c. 71.* Sculpunt, inquit, in his adhuc virentibus tam virorum, quam mulierum formas infixis hordei, & milii granis iis in locis, ubi pilos exorri volunt: deinde facta scroba, tam diu tenui sambulo obrunt, quo usq; grana illa radices emittant: id quod fiet viginti ad summū dierum spacio. Eruunt eas demum, & ad natas è granis radices acutissimo cultello scindunt, aptant-

aptantque ita, ut capillos, barbam, & ceteros corporis pilos referant. Malva adeo Veneri nascitur, ut semen unicaulis aspersum genitali, foeminatum aviditates augere ad infinitum Xenocrates tradat: item tres radices ad alligatos tenesmo & dysentericis utilissime infundi. Mirum vero aquam radice ea addita addensati sub dio & lactescere. Plin. l. 10. c. 21. Morus non nisi ex aucto frigore germinat; parit tamen inter primas. Cum germinare incipit, in tantum universarum prorumpit germinatio, ut una nocte peragat etiam cum strepitu, & tota floribus operiatur. Plin. l. 16. c. 25.

### C A P U T XXX. D E N A P E L L O.

**N**APELLUS tota exitium adfert, sed radix maxime. Manu enim retenta quoique concalescat, tenentem perimit. Certum, pastores, qui vero loco, caule ejus in asslandis aviculis usi sunt, interiisse. Immanitatem ejus aliquot exemplis extimbit Mathiolus comm. in lib. 4. Diosc. c. 73. Vnum adjicio. Data erat latroni cuidam, annum vigesimum septimum agenti Napelli drachma. Hic epoto lethali pharmaco, piperris omnem saporem illi incelle dicebat: Infecuta sunt gravissima symptomata. Evomuit enim frequenter biliosa porraceo colore. Quendam veluti globum circa umbilicum sensit, qui inde superna petens, in superemam capitum partem, frigidam quandam diffundebat auram. Accessit his stupor quidam paralyssi non absimilis, qui sinistri lateris brachium & crus occupavit, adeo ut vix sumimam manum admovere posuerit, motu jam in ceteris partibus extincto. Interim non multo post tempore, haec morbi vis, sinistra corporis parte incolumi relicta, in dextram repente se contulit, eandemque simili modo occupavit. Ajebat quoque universas corporis venas frigescere. Non defuerunt vertigines, quas secutae sunt cerebri commotiones adeo frequentes, ut aquæ in caldario bullienti simili-